

tionem poterat. At Creaturarum omnium perfectio omnis, quotiescunque etiam repeti aut multiplicari cogitetur, tamen nunquam metiri valet divinum esse, quod immensum cum sit & independens, nullo numero, nullâ mensurâ cognosci determinare potest.

II. Nec tamen ideo cunctæ res creatæ æqualiter à Deo distare sive æquè ei dissimiles esse videntur, id quod hoc simili utcunque declaratur: omnis figura rectilinea adeo distat à circulari, ut ei adæquari possit nunquam (liceat hoc nunc assumere:) & tamen quò pluribus angulis prædita est figura rectilinea, eò propius accedit ad circularem. Ita & illa Creatura Deo est similior, quæ plures ab eodem perfectiones accepit.

EXERCITATIO LXII.

Deum & Creaturam habere communia quedam nomina.

I. **E** superioribus luce clarius meridiana est, Deum & Creaturam habere quandam similitudinem & convenientiam, etiamsi nullus adhuc communi-

E e 2

bus